





213.





# Disputatio XIX.

DE VSV CAPIONE ET PRÆSCRIPTIONE,  
*itemque traditione fisci:*

QVAM,

*Deo benè fauente,*

AUSPICIIS

V. CL. ET IVRIS CON-  
SULTISSIMI DN. HENRICI  
BOCERID, DOCTORIS ET ANTECESSORIS IN  
ACADEMIA TUBINGENSI, PRÆCEPTORIS SVI  
obseruandi : ordinarij exercitij gratiâ, tueri  
conabitur

ANDREAS DINNERSA



TUBINGÆ,  
Excudit Georgius Gruppenbachius.

ANNO M. DC.

mmmm





Disputatio XIX.

DE VISIONE ET ERRECTIONE

ANNO MDCCLXXII

DEO GRATIAS

AUCTOR

V. CL. ET IV. RISSON

ROBERTO DOCTORE

ACADEMIAE

UNIVERSITATIS

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

ALMA MATER

Excudit Georgius Grubenschlager.

ANNO MDCCLXXII

ALMA MATER





I.  
Disputatio XIX.

DE V SUCAPIONE ET PRÆSCRIPTIO  
ne: tum etiam de traditione fisci.

T H E S I S. I.

**A**CTENVS DE MODIS ADQVIRENDI DO-  
minium iure gentium: Dispiciendum igitur nunc de mo-  
dis acquirendi dominium iure ciuili; quorum genera duo  
sunt; vnum, quo res singulæ acquiruntur: alterum quo ad-  
quiruntur res vniuersæ.

§. vlt. Inst. de vs. & hab. §. hætenus. Instit. Per quas person. cuiq; adquir.

II.

Prioris generis species sunt, Præscriptio, (a) traditio fisci, (b) do-  
natio mortis causa, (c) legatum, & fideicommissum singulare. (d)

a) dict. §. vlt. Inst. de vs. & hab, iunct. t. seq. de vsucap. & d. §. hætenus.  
Inst. per quas pers. cuiq; adq. (b) §. Edicto Diui Marci. vers. constitutio. Inst. de  
vsucap. l. 2. C. de quadrienni præscr. (c) l. 1. §. vlt. & l. 2. ff. de public. in rem  
act. (d) d. §. hætenus Inst. per quas pers. cuiq; adquir.

III.

Præscriptio est adquisitio dominij in re aliena, per continuatio-  
nem possessionis temporis lege definiri. (a) Eamq; cum æquitate con-  
iunctam esse dicimus: (b)

a) l. 3. ff. de vsucap. Vlp. t. Inst. 19. de dominijs, & adquisit. ser. §. vsucapio-  
ne. Auth. Nisi triennale. C. de bonis mater. l. 2. C. in quib. caus. cess. long.  
temp. præscr. §. Ex his itaq; vers. Et hoc est. Inst. per quas pers. cuiq; adq. (b)  
l. 1. ff. de vsuc. & l. alienationis verbum. 28. in pr. vbi Gædd. ff. de verb. signif.

IV.

Species præscriptionis (a) duæ sunt: vsucapio, & præscriptio ita  
in specie dicta. (b)

a) Præscriptionis nomen est generis nomen, quod & vsucapionem & præ-  
scriptionem specialem complectitur, c. 1. & tot. t. Ex. de præscript. & l. ei a quo  
21. ff. de vsucap. vbi IC. Iauolenus vsucapionem, de qua prius meminit, postea  
præscriptionem appellat. (b) Hæ duæ species proponuntur, & inuicem oppo-  
nuntur in §. Ex his itaq; vers. Et hoc est, ibi: vel vsucapionem, aut longi tem-  
poris præscriptionem. Inst. per quas pers. cuiq; adq. l. vlt. §. Sin autem. ibi: vt

m m m 2 nec





CLASSIS QUARTÆ

nec vsucapio, nec longi temp. præscriptio. C. commun. de leg. & fideicom. l. 2. C. in quib. caus. cess. long. temp. præscr. l. 1. C. de commun. rer. alien.

V.

Nec enim probamus Donelli opinionem, existimantis (a) hodie non esse distincta genera civilis acquisitionis, vsucapionem & longi temporis præscriptionem, cum hæc, quæ ab illa antiquitus distincta erat, ex lege Iustiniani (b) facta sit vsucapio. (c)

a) lib. 5. comment. c. 4. (b) l. vn. C. de vsucap. transfor. (c) Id quod verum non est, siquidem post eam legem duo illa acquisitionis genera disertè distinxerit in d. §. ex his itaq; Inst. per quas pers. cuiq; adq. Et quod Imp. saluam esse voluerit etiam præscriptionem longi temp. patet abunde ex eadem l. vn. ibi: Secundum quod exigat longi temp. præscriptio. C. de vsuc. transfor.

VI.

Reijcimus (a) quoque eiusdem Donelli (b) sententiam, qua præscriptionem longi temporis acquisitionem rerum esse negat.

a) per text. in d. §. ex his itaq; vers. & hoc est, l. qui alienam 54. in princ. ff. de euct. l. ei à quo 21. ff. de vsucap. l. 2. C. in quib. caus. cess. long. temp. præscr. l. 1. ibi. præstiterit. C. de commun. rer. alien. l. vlt. §. sin autem vers. sin autem C. commun. de leg. & fideic. Iul. Paull. lib. 5. sent. t. 2. §. longi temporis in pr. & t. 5. §. res olim (b) lib. 5. comment. c. 4. pag. 337. hoc argumento, quod præscriptio sit exceptio, atq; ita res quaesita, non res acquirens.

VII.

Vsucapio est adiectio dominij, (a) qua ipso iure dominium rei à priore domino transit, (b) & pleno (c) firmoque (d) iure nouo domino vsucapienti acquiritur. Vnde non probamus eorum opinionem, qui scribunt, (e) vsucapitori aduersus priorem dominum vindicantem completa vsucapione, rem vsucaptam, exceptionem competere, qua se aduersus ipsum tueri possit. (f)

a) l. 3. ff. de vsucap. & §. vsucapione t. Inst. Vlpiani 19. l. traditionibus 20. C. de pact. Cuiac. ad Vlpian. d. t. 19. & ad d. l. 3. ff. de vsucap. item Duaren. ad t. eundem c. 1. scribunt in d. l. 3. legendum esse, adeptio, non adiectio. Sed vtraq; lectio meo animo proba, commodior tamen adiectio, quippe cum possessioni, prius acquisitæ, dominium per vsucapionem adijciatur. Cont. lib. 1. disput. c. 10. & Donell. lib. 5. comment. c. 5. (b) l. alienationis verbum 28. vbi vid. Alciat. & Gædd. & l. aliud est capere 71. vbi idem Gædd. n. 6. ff. de verb. signif. (c) l. Iulianus 17. in fin. ff. de rei vind. (d) l. vn. ibi: Is firmo iure eam possideat, quasi per vsucapionem eam acquisitam C. de vsuc. transfor.



for. (e) Dn. Obrecht. disputat. de prescript. thes. 124. 125. & seq. (f) Cum enim prior dominus completa vsucapione non habeat rei vindicationem, siquidem vnus rei duo in solidum domini non sint. nec locus esse poterit exceptioni, cum hac sit actionis exclusio.

## VIII.

Tribuit ergo vsucapio eiusmodi dominium, cuius nomine rei vindicatio (a) directa (b) vsucapienti competit, etiam aduersus dominum priorem. (c)

a) l. in rem 23. ff. de rei vind. l. rem in bonis 52. ff. de acquir. rer. dom. (b) Vindicatio alia directa est, alia utilis l. vxor marito 55. ff. de donat. int. vir & vx. §. si quis in aliena tabula vers. at si is. Inst. de rer. diuis. l. tutor 16. in fin. ff. de pign. act. l. 3. §. si ego superficiarius ff. de no. op. nunc. (c) Donellus lib. 5. com. c. 29. pag. 408.

## IX.

Cæterum vsucapionis substantia consistit tum in possessione rei ad vsucapiendum idonea, iusto & vero titulo, siue causa iusta ad dominij translationem habili, & sine errore iuris acquisita, & qua vsucapientis bona fide nititur; tum in tempore lege definito.

## X.

Sine possessione, qua quis sibi possidet, & quidem ciuilitate, vsucapio nulla est. (a) Vnde colonus, emphytetua, vasallus, superficiarius, & qui precario possidet, non vsucapiunt: (b) vt nec creditor vsucapit rem pignori acceptam, cum pro alieno possideat. (c)

a) l. sine possessione 25. ff. de vsucap. (b) l. adquiretur 10. §. vlt. ff. de acquir. rer. dom. l. 2. & l. cum notissimi 7. §. vlt. C. de prescr. 30. vel 40. an. (c) l. pignori 13. in princ. vbi Cuiac. l. iusto 44. §. non mutat ff. de vsucap.

## XI.

Est quoque nulla vsucapio in re ad vsucapiendum haud idonea. Idonea autem est maximè res corporalis: (a) incorporalis res vsucapi non potest. (b)

a) l. vsucapionem 9. ff. de vsucap. Dico cum I C. Gaio, maximè, propter l. 4. §. vlt. ff. d. t. l. hac. 6. ibi: simul libertatem vsucapiat, & l. seq. ibi, libertatem vsucaperem ff. de seruit. pr. ad. vrb. & l. si quis. 18. §. vlt. ibi: vsucepisse libertatem ff. quemad. seruit. am. (b) l. si aliena. 10. §. 1. ff. de vsucap. l. seruus 43. §. 1. ff. de adq. rer. dom. l. seruitutes 14. in princ. ff. de seruit.

## XII.

Non est etiam ad vsucapiendum idonea res sacra, res sancta, publica item populi Romani, aut ciuitatis, homo liber, (a) res fisci: (b)

m m m 3

res



CLASSIS QUARTÆ

res Principis, (c) res furtiua vel vi possessa, (d) nisi hoc vitio fuerit purgata, veluti si in potestatem domini sit reuerfa. (e)

a) d.l. vsucapionem 9. ff. de vsucap. §. sed aliquar 10 Inst. eod. t. (b) §. res fisci nostri Inst. b. t. & l. quamuis 18. ff. eod. (c) totot. C. ne rei dominica & ibi Cuiac. in paratit. (d) §. furtiua. Inst. d. t. & l. bonæ fidei 48. in princ. vers. nec interest ff. de acquir. rer. do. Donell. lib. 5. com. c. 27. (e) §. aliquando etiam Inst. eod. l. 4. §. quod autem & §§. seqq. & l. vbi lex 24. §. 1. ff. h. t. Donell. d. lib. 5. c. 28.

XIII.

Quæritur de partu ancillæ furtiuae, an vsucapi possit? Et hunc vsucapi non posse, si ancilla surrepta sit prægnans vel apud furem, vel eius hæredem, concepit veledidit partum: Apud bonæ fidei possessorem si furtiua ancilla concepit, aut peperit, partum posse vsucapi verius est.

l. qui vas 48. §. ancilla 5. ff. de furt. l. 4. §. heres 15. l. si aliena 10. §. 2. l. non solum 33. in pr. ff. de vsucap. l. si ego 11. §. partus ff. de Publician. in rem act. l. 3. C. de vsucap. pro emptor. vid. Donell. lib. 5. comment. c. 25. & Cuiac. in lib. 54. Pauli ad edict. pag. 45.

XIV.

Noc possunt etiam vsucapi prædia superficiaria, & emphyteuticaria: (a) Prædia verò prouincialia, licet olim non vsucapiebantur, ex Iustiniana tamen legislatione hodie vsucapionem recipiunt. (b)

a) l. cum sponsus 12. §. in vectigalibus & §. seq. ff. de public. in rem act. l. 15. si finita §. si de vectigalibus ff. de damn. inf. (b) Inst. h. t. in princ. & l. vn. C. de vsuc. transfor.

XV.

Non possunt etiam vsucapi res pupilli ab eo sine tutore alienatae, (a) neq; loca Iuris gentium publica in perpetuum dominium vsucapi possunt. (b)

a) d.l. bonæ fidei 48. in pr. vers. nec interest. ff. de acquir. rer. dom. l. vlt. C. de vsucap. pro emptor. vid. Cuiac. lib. 24. obseru. c. 14. (b) per l. præscriptio 45. in pr. ff. de vsucap. l. in tantum 6. in pr. ff. de rer. diuis. l. iniuriarum 13. §. vlt. ff. de iniur. vbi vide Duaren. cap. 3. & Donell. lib. 5. comment. c. 22. Ob stare videtur l. si quisquam 7. ff. de diuers. & temp. præscr.

XVI.

Aduentitium quoque peculium filijfam. dum hic in patris sui potestate est, vsucapi non potest.

l. 1. §. vlt. C. de annal. except.

Iusto



## XVII.

Iusto quoque & vero possessionis titulo siue iustâ causâ vt nita-  
tur vsucapio, necesse est: (c) qualis titulus siue causa est, emptio ven-  
ditio, iusta donatio, dotis datio, legatum, (d) transactio, (e) iudica-  
tum, (f) noxæ deditio, (g) derelictum, (h) tum etiam titulus  
pro herede, (i) & deniq; pro suo. (k)

c) *Instit. de vsuc. in princ. l. vn. ibi: vt in omnibus iusto titulo. C. de vsuc. trans-  
for. l. vlt. C. de vsucap. pro hered. l. nullo 24. C. de rei vind. (d) Inst. de vsucap. in pr.  
l. Celsus 27. ff. eod. l. in omnibus 55. ff. de obl. & act. l. 3. §. genera ff. de acquir. poss. l. 1. in  
fin. l. 2. ff. de public. in rem act. tot. t. C. & ff. de vsucap. pro emptore & t. de vsucap. pro  
dote, & tot. t. ff. pro donato & t. pro legat. (e) l. pen. C. de vsuc. pro empt. vel trans-  
act. l. cum solus 29. ff. de vsuc. (f) l. si per errorem 17. ff. d. t. l. 11. iuste ff. de acquir. vel  
am. poss. l. quod auctore. 137. vbi Petr. Fab. ff. de Reg. Iur. l. 2. ff. si ex nox. caus. ag. l. 3. in  
fin. ff. de Public. in rem act. (g) l. 4. & l. 5. ff. de Public. in rem act. (h) tot. t. ff. pro  
derelict. (i) toto. t. C. & ff. pro hered. (k) l. 2. ff. pro suo.*

## XVIII.

Error autem falsæ causæ siue tituli impedit vsucapionem, veluti  
si res quasi legata mihi tradatur, cum tamen legatum non præcesserit:  
vel si quis cum non emerit, emisse se existimans possideat; vel cum ei  
donatum non fuerit, quasi ex donatione possideat.

§. error *Inst. de vsuc. l. vlt. C. de vsuc. pro don. l. Celsus 27. ff. de vsucap. Falsa enim  
existimatio veritatem causæ non mutat l. assumptio 6. ff. ad municipal.*

## XIX.

Si tamen iusta erroris causa interueniat, vt si ex facto alieno error  
procedat, vsucapio non impeditur: veluti si procurator vel seruus, cui  
rem emendam mandaueram persuaserit mihi se emisse, atque ita tradi-  
derit: (a) aut si putem defunctum, cui successi, emisse, quia is, dum vi-  
ueret, pro emptore possidebat, magis est, vt vsucapio sequatur. (b)

a) *l. quod vulgo 11. ff. de pro empt. (b) l. vlt. ff. pro suo.*

## XX.

Traditio quoque si fiat ex falsa causa, error causæ falsæ non obstat,  
quo minus vsucapio pro soluto procedat: (a) Qua tamen in re distat  
emptio à cæteris negocijs, si quis enim rem quasi debitam ex causa  
venditionis tradat, ne quidem pro soluto vsucapio procedit, cum &  
contractus & solutionis tempus in emptione spectetur. (b)

a) *l. 3. & l. 4. ff. pro suo (b) l. si aliena 10. in princ. & l. pen. ff. de vsucap. l. 2. in  
princ. ff. pro empt.*

Est



CLASSIS QUARTÆ

XXI.

Est & illa à nostris multum agitata quæstio, an suus quoque heres rem alienam in hereditate inuentam pro herede vsucapere possit? Alij negant, (a) alij affirmant, (b) & his nostrum lubenter calculum addimus. (c)

a) Accurs. & alij ad l. 2. §. filium ff. pro herede, & ad l. nihil 2. C. de vsucap. pro herede, Donel. lib. 5. comment. cap. 14. pag. 369. circa finem, (b) Vigl. Zuichem. ad §. sui autem, num. 4. Instit. de hered. qualit. & differ. & Ioan. Vaud. lib. 1. quæst. iur. quæst. 4. (c) per generalem textum in l. vlt. ff. pro hered.

XXII.

Quod attinet bonam fidem, eâ possessor niti dicitur, si rei alienæ scientiam non habeat, (a) veluti si iuste credat, eum à quo rem habet, dominum fuisse, (b) aut alienandi ius habuisse. (c)

a) Harmenopul. lib. 1. epit. Tit. 3. & l. 3. in princ. ff. de lege Fab. de plag. (b) Instit. de vsucap. in pr. (c) l. bonæ fidei 109. ff. de verb. sig. & l. qui à quolibet, 27. ff. de contrah. empt. & vendit. adde textus adscriptos thesi 3. disputat. 2. sub hac classe.

XXIII.

Est autem omninò necessaria ad vsucapionem bona fides, ita vt sine hac procedere non possit.

§. Sed aliquando, ibi, si maximè quis bona fide, & §. seq. ibi, bona fide possessa, §. sed tamen, ibi, bona fide accipienti §. res fisci, ibi, bonæ fidei emptorem, & §. seq. ibi, vt à bonæ fidei emptore, Instit. de vsucap. l. si alienares, 10. ibi, res bona fide empta, & l. Celsus 27. ibi, cuius rei quisq. bona fide adeptus sit possessionem, ff. de vsucap.

XXIV.

Fur igitur, & qui per vim rem alienam possidet, vsucapere non possunt.

§. Quod autem dictum est, Instit. de vsucap.

XXV.

Et licet in emptione duobus temporibus bona fides exigatur, emptionis scilicet & traditionis tempore, (a) non autem tempore sequenti (b): In cæteris tamen alienationis negocijs iure ciuili traditionis tantum tempore bona fides desideratur, (c) non etiam cæteris temporibus. (d)

a) l. sed etsi 7. §. vlt. ff. de pub. in rem act. l. si aliena 10. in princ. vbi Accurs. & Cuiac. ff. de vsucap. (b) l. si is, qui pro emptore 15. §. fin. & l. iusto 44. §. etsi possessionis ff. de vsucap. (c) l. bonæ fidei 48. §. 1. ff. de adq. rer. dom. & l. pen. ff. pro empt. (d) l. sequitur 4. §. si antequam pariat ff. de vsucap. & l. vn. ibi, vt in his omnibus casibus ab inito eam bona fide capiat, C. de vsucap. transfor.

Mo



DISPUTATIO XIX.

XXVI.

Mala fides acquirentis obest quoq; eius heredi, quò minus rem alienam in hereditate inventam vsucapere possit.

*§. Diutina, vers. Quod si ille initium. Instit. de vsucap.*

XXVII.

Exigitur, vt diximus, in vsucapione & illud, vt rei possessio absq; iuris errore sit acquisita. (a) Si enim tutor pupillo suo vendenti rem quandam autor fiat per errorem in initio venditionis, vel post longum tempus venditionis peractum, vsucapio emptori non procedit. (b) Neq; procedit vsucapio, si possessor non putet, sibi per leges licere vsucapere (c)

a) *l. 4. ff. de iur. & fact. ignorant.* (b) *l. nunquam 31. in prin. vbi Cuiac. ff. de vsucap.* (c) *l. si fur. 32. §. 1. ff. d. t.*

XXVIII.

Quod attinet tempus vsucapioni præfinitum, si res mobilis sit, triennium ad eius vsucapionem requiritur; si res soli sit, decennium inter præsentis, vicennium inter absentes desideratur.

*l. vn. C. de vsucap. transfor. & Tit. Instit. de vsucap. in prin. vers. Et cum hoc, & vers. seq. Præsentis autem, & absentes non ciuitate, sed prouincia lex æstimat d. l. vn. & l. vlt. C. de præscript. longi temp. hodie tamen eos esse præsentis volunt, qui sub eadem sunt præfectura, vel qui eundem habent iudicem, gl. & Dd. ad d. l. vlt. C. d. t. Buda. ad l. si in aliam. 7. ff. de offic. proconsulis.*

XXIX.

Sed tempus illud non à momento ad momentum, neq; ab horâ in horam, sed à die in diem computamus, ita vt, qui vltimum diem attigerit, hunc vsucepisse dicamus:

*l. In vsucapionibus 6. & ibi Cuiac. ff. de vsucap. & l. in vsucapione ff. de diuers. temp. præscript.*

XXX.

Qui igitur hora sexta diei Kalend. Ianuarij possidere cœpit, hora sexta noctis pridie Calend. Ianuar. vltimi anni implet vsucapionem.

*l. Ideoq; 7. ff. de vsucap.*

XXXI.

Continuum autem prædictum illud tempus esse debet. (a) Quod si interrumpatur possessio, cessat vsucapio. (b)

a) *l. 3. ff. de vsucap.* (b) *l. naturaliter 5. l. nunquam 32. §. 1. l. si is qui 5. in prin. l. non solum 33. §. Qui pignori, ibi, interpellabitur vsucapio ff. de vsucap. c. Illud. & c. auditis, ext. de præscript. l. 2. C. de præscript. longi temp.*

nnn

Et



QVARTÆ CLASSIS

XXXII.

Et licet vnus defit dies, præcedentis temporis possessio nihil omnino conducit.

*l. Sed etsi per prætorem, 26. §. Quoties ff. ex quib. causis maior.*

XXXIII.

Interrumpitur autem possessionis tempus duobus modis; naturaliter & ciuilitè. Naturaliter, si quis vi de possessione deiiciatur, vel res mobilis alicui surripiatur: (a) ciuilitè, litis contestatione, si condemnatio secuta fuerit, (b) & libelli oblatione præfidi facta, cum possessor conueniri, & interpellari non potest, eò quòd vel absens est, vel infans, aut furore laborat, nec tutorem vel curatorem habet, vel in magna potestate constitutus est. (c)

a) *l. naturaliter 5. ff. de vsucap.* (b) *l. nemo 10. C. de acquir. & retinend. possess. l. more 26. C. de rei vindicat. l. si post 18. ff. de rei vindicat. Cuiac. ad l. 2. §. si res alienam. ff. pro empt.* (c) *l. 2. C. de annali except. Cuiac. ad d. l. 2. in fin. ff. pro empt. & in Paratit. Cod. quando libellus Principi datur, in fin. vide Connan. lib. 3. comment. cap. 14. nu. 8. Donel. lib. 5. comment. cap. 21. Cisner. ad l. 1. nu. 23. ff. de vsucap. VVe-sembec. ibid. in paratit. in fin..*

XXXIV.

Cæterum continuatio illa temporis lege definiti spectatur non solum in eadem persona, sed & in diuersis, veluti in herede, bonorum possessore, legatario, (a) emptore (b)

a) *§. Diutina, Instit. de vsucap. l. Pomponius 13. §. sed & legatario ff. de acquir. vel amitt. possess. l. vn. vers. & vt continuetur, C. de vsucap. transfor. l. cum miles 30. in princ. ff. ex quib. caus. maior.* (b) *§. inter venditorem quoq;, Instit. de vsucap. & d. l. vn. vers. & vt continuetur, C. de vsucap. transfor.*

XXXV.

Quod si possessio rectà non transeat ab auctore in successorem, sed media prius interueniat persona, quæ possessionem adipiscatur, tùm præcedens auctoris tempus non prodest successor ad vsucapionem.

*l. Pomponius 13. §. quasitum, ff. de acquir. vel amitt. possess. quare de nouo successor ille vsucapionem inchoabit, d. l. naturaliter 5. ff. de vsucap.*

XXXVI.

Vacuum tamen tempus, quod ante hereditatis aditionem intercessit, prodest heredi ad implendam vsucapionem.

*l. nunquam 31. §. vacuum, & l. ceptam 40. & l. iusto 44. §. nondum ff. de vsucap. l. cum miles 30. in princ. ff. ex quib. caus. maior. cum hereditas antequam adeatur, personam.*



sonam defuncti sustineat l. hereditas 34. ff. de acquir. rer. dom. & hinc pro domino habeatur l. hereditas 61. in princ. ff. d. t.

## XXXVII.

Probatur autem continuatio possessionis ex precedenti possessione. Qui enim olim possessor fuit, praesumitur etiam hodie possidere.

c. Olim inter. extra de restitut. spoliat. c. pen. extr. de transact. Didac. Couar. ad c. possessor. tit. de Reg. Jur. in 6. part. 2. §. 1. n. 1. Mascard. de probat. vol. 3. conclus. 1195. per tot.

## XXXVIII.

Sequitur de praescriptione speciali. Praescriptio ita in specie dicta, est adiectio dominij, (a) quod per continuationem possessionis tempore legitimo adquisitum, iure tantum exceptionis, aduersus priorem dominum tueri, (b) & in rem actione vtili ab extraneo possessore repetere (c) possumus.

a) Nam vt vsucapione, sic & praescriptione dominium acquiritur, §. ex his itaq; vers. & hoc est, Instit. Tit. per quas person. cuiq; acquiritur. Auth. nisi tricennale sibi, quo possessor dominus fit, C. de bonis mater. l. qui alienam 54. ff. de euct. l. 2. C. in quib. causis cessat longi tempor. praescript. (b) Praescriptione acquiritur dominium non ipso iure, non pleno & firmo iure, sed opetantum exceptionis, qua tueri & conseruare illud contra dominum possumus, l. 1. l. 5. l. super longi. C. de praescript. longi tempor. l. si quis emptionis 8. in princ. ibi, & longi temporis exceptionem contra dominos eius, vel creditores hypothecam eius pretendentes sibi adquisierit. C. de praescript. 30. vel 40. annor. Ioan. Francis. Balb. tract. de praescript. part. 1. princip. quaest. 8. mihi pag. 29. (c) l. si quis diuturno 10. in princ. ff. si seruit. vindic. & d. l. si quis 8. in prin. C. de praescript. 30. vel 40. annor. Cuiac. ad l. 4. circa finem. mihi pag. 431. ff. de vsucap. & in paratit. Cod. de praescript. longi tempor. Fr. Hoteman. lib. 4. obseruat. cap. 2. Don. lib. 5. comment. cap. 31. in fin. Aduersus veterem dominum moueri haec actio non potest l. po. nult. & l. vlt. ff. de pub. in rem act. Donel. dict. cap. 31. in fin.

## XXXIX.

Interpretum opinionem, qua volunt, vsucapionem esse rerum mobilium: praescriptionem rerum immobilium, vt erroneam reicijmus.

Vt enim olim praedia tantum Italica vsucapiebantur biennio, & res mobiles anno vno, ita & hodie ex Iustiniani constitutione prouincialia quoque praedia vsucapiuntur l. vn. C. de vsucap. transfor. & Tit. Institut. in princ. Pleraque etiam exempla vsucapionis sub tit. ff. de vsuc. rerum sunt immobilium, velutifundi: aedium, aliorumq; praediorum. Non ergo iniuriã recentiores hanc discriminandi rationẽ reijciunt, Didac.

n m 2

COUAR.



Couar. ad c. possessor male fidei. tit. de reg. iur. in 6. part. 1. §. vn. num. 2. & 3. pagin. 193.  
 Duar. ad tit. ff. de vsucap. c. 1. & 5. Donel. libr. 5. commentar. cap. 4. pag. 327.

XL.

Est & illa interpretum vitiosa opinio, qua per vsucapionem mobilium, directum adquiri dominium, & directam in rem actionem dicunt, sed vsucapione immobilium, quam præscriptionem vocant, utile dominium adquiri, & actionem in rem utilem.

Tum quia omnis vsucapio siue sit mobilium, siue immobilium rerum, firmo & pleno iure dominium vsucapienti tribuit, l. vn. ibi, us firmo iure, C. de vsucap. transfor. l. Iulianus 17. in fin. ibi, quia plenum ius incipit habere, ff. de rei vindicat. tum quia textus in l. traditionibus 20. C. de pactis, l. 3. ff. de vsucap. l. alienationis 28. de verb. sig. non distinguunt inter directum & utile dominium, tum quia capere, vnde vsucapere, id est. possessione capere (est enim vsus possessio l. questio 115. ff. de verb. sig.) cum effectu accipitur, l. aliud est capere, 71. ff. d. t. tum etiam quia leges in rem actionem verbis expressis largiuntur illi, qui firmo iure dominium id est, proprietatem rei habet, §. omnium autem, vers. quo casu prodite sunt actiones in rem Instit. de act. l. actionum genera 25. in princ. vers. in rem actio est, ff. de oblig. & action. l. in rem actio 23. in princip. ff. de rei vind. Est itaque ea directa actio, cum semper in dubio assumenda sit potior significatio l. queritur 10. ff. de statu hom. l. domum 57. ff. de contrah. empt. Hoc interpretum commentum reijcit quoque Didac. Couar. ad d. c. possessor, tit. de Reg. Iur. parte 2. in initio, num. 2. & 3. pag. 216. & 217. Duaren. ad tit. ff. de vsucap. cap. 5. Pinell. ad auth. nisi tricennale, n. 36. & seqq. C. de bon. mater. & Donel. lib. 5. comment. cap. 29. pag. 408. sed tueri hoc interpp. muentum putatur illud, quod varijs legibus tit. Cod. de longitemp. præscript. exceptio tantum aduersus veterem dominum tribuitur ei, qui rem immobilem longa possessione adquisiuit. Item text. in l. si duo patroni 13. §. Iulianus, ff. de iureiurand.

XLI.

Cæterum locus est præscriptioni in his rebus, quæ vsucapi non possunt: Quæ recipiunt vsucapionem, in illis cessat præscriptio.

l. 2. C. in quibus causis cessat longi temp. præscript. dominium enim mihi non nisi ex vna causa adquiritur l. non vt ex pluribus 159. ff. de Reg. Iur. §. sic itaque discretis vers. nec res, Instit. de act. l. 4. §. lana 19. ff. de vsuc. l. in bello 12. §. & si ignorans ff. de capt. & postlim. reuers. l. 2. l. si ancillam 7. C. de contrah. empt. & vendit.

XLII.

In omni autem præscriptione iura exigunt & possessionem rei, (a) & certum tempus, (b) & temporis continuationem. (c)

a) c. sine. de reg. iur. in 6. l. 2. C. de præscr. longi temp. l. præscriptio 45. in fin. ff. de vsucap.



vsucap. (b) Quod aliud atq. aliud est, vt seqq theses arguunt. (c) l. 1. C. de longi tempor. prescript. l. cum notissimi 7. in princ. C. de prescript. 30. vel 40. annor. Obrecht. disputat. de prescript. thes. 49. & 84.

## XLIII.

Quia autem res alia aliud desiderat tempus, idcirco prescriptionum species variæ sunt. Est enim prescriptio quadriennij, est prescriptio longi temporis, est prescriptio 30. annorum, est prescriptio 40. annorum, est prescriptio centenaria, est denique prescriptio temporis immemorialis.

## XLIV.

Prescriptio quadriennij est, qua fiscus quadriennij possessione acquirit rem alienam ipsi fisco illatam; qua item Princeps eiusdem temporis possessione acquirit rem alienam ærario eius illatam; (a) qua denique aliquis bona vacantia nondum fisco nunciata, quadriennij possessione acquirit. (b)

a) l. 2. & l. 3. C. de quadrienn. prescript. §. vlt. Instit. de vsucap. (b) l. 1. vbi Cuiac. in paratit. C. de quadrienn. prescript. l. 1. §. diuus ff. de iure fisci, l. intra ff. de diuers. tempor. prescript. l. 6. §. certè si vacantia ff. si quis omissa causa testam.

## XLV.

Prescriptio longi temporis est, qua decennio inter præsentem, vicennio inter absentes acquiruntur tum prædia superficiaria, itemque emphyteuticaria, (a) tum etiam seruitutes; (b) possessio item Reipub. id est, ciuitatis viginti annorum prescriptione acquiritur. (c)

a) l. cum sponsus 12. §. in vectigalibus, & §. seq. ff. de pub. in rem act. l. si finita 15. §. si de vectigalibus & §. seq. ff. de dam. infect. Cuiac ad l. 4. circa finem, ff. de vsucap. & in paratit. Cod. tit. de longi tempor. prescript. Obrecht. in disputat. de prescript. thes. 67. & seq. (b) l. si quis diuturno 10. in pr. ff. si seru. vindic. l. vlt. in fin. C. de prescr. longi tempor. & ibi Cuiac. in parat. (c) l. 1. in fin. C. de prescript. longi temp. Iul. Paul. lib. 5. sen. tit. 2. §. viginti annorum, vbi Cuiac.

## XLVI.

Possessor quoque extraneus, id est, non debitor, hac prescriptione acquirit rem hypothecariam, ita scilicet, vt creditor ius suum id est, hypothecariam actionem amittat.

l. 1. l. 2. C. si aduersus credit. prescript. opp. vbi Cuiac. in paratit. l. si à creditore 7. & l. vlt. C. de oblig. & act. l. vlt. C. de long. tempor. prescript. l. si obligata 19. Cod. de iuct. l. credior 12. ff. de diuers. temp. prescript. & ibi Cuiac. cap. 30. idem Cuiac. in parat. C. de prescr. 30. vel 40. an.



CLASSIS QUARTÆ

XLVII.

Res autem Principis dominicæ, (a) res ciuitatis, (b) res Ecclesiæ, alijsque pijs vsibus destinatæ, res (c) item minorum, (d) res aduentitiæ filijsfam. (e), hac præscriptione non adquiruntur, proindeque nec res fisci, (f) neque res pupilli ab eo sine tutore alienatæ. (g)

*Sed et illud singulari in legibus  
ubi, nec non iuri ciuitatum, C. de SS. Eccles.*

a) tot. t. C. ne rei dominicæ, vel templor. (b) l. vt inter diuinum 23. in princ. ibi, nec non iuri ciuitatum, C. de SS. Eccles. Res ciuitatis, non nisi centum annorum præscriptione adquiruntur, vt ex citata lege patet, & docet Cuiac. lib. 5. obseruat. c. 5. & Don. lib. 5. comment. c. vlt. (c) dict. l. vt inter 23. in pr. C. d. t. res Ecclesiæ olim etiam nõ nisi centum annorum præscriptione acquirebantur, vt ex citato loco constat, & ex Nou. 9. verum alijs ex Nouellis, 40. annorum præscriptione adquiruntur Nouel. iii. & 131. Cuiac. d. lib. 5. obser. c. 5. & Don. d. c. vlt. (d) l. vlt. C. in quib. causis restit. in integ. nec, non est (e) l. 1. §. vlt. C. de anal. except. (f) arg. §. vlt. Instit. de vsuc. Don. d. lib. 5. cap. 24. in pr. (g) l. vlt. C. de vsuc. pro empr.

XLVIII.

Ad hanc longi temporis præscriptionem etiam titulum requirimus: (a) quamuis seruitus hac præscriptione etiam sine titulo adquiri possit. (b)

a) l. 4. l. vlt. vers. si igitur. ibi, vt bono initio, C. de longi tempor. præscript. l. si quis 8. in pr. C. de præscr. 30. vel 40. an. (b) l. si quis diuturno 10. in pr. ff. si seru. vind. l. apparet 5. §. si quis seruitutem, ff. de itiner. act. uq. priu. l. 2. ibi, eo sciente. C. de seruit. & aqua, l. 1. in fin. ff. de aqua, & aqu. plu. arcend. vid. Don. lib. ii. com. c. 12. & Duar. lib. 1. disputat. cap. 34.

XLIX.

Requirimus item ad hanc præscriptionem bonam fidem: (a) Item, ne res sit furtiua. (b)

a) l. 2. & l. si fraude 6. C. de longi tempor. præscr. c. possessor tit. de Reg. Iur. in 6. (b) l. 1. C. de seruis fugit. L.

Interrumpitur autem longi temporis præscriptio litis contestatione.

Auth. male fidei C. de longi tempor. præscr. l. mora, 26. C. de rei vind. l. nemo 10. C. de adquir. poss. Cuiac. lib. 18. obs. cap. 29. currit quidem & impletur hæc præscriptio lite contestata, sed nihil prodest præscribenti: l. nec bona 10. C. de long. temp. præscr.

LI.

Præscriptione 30. annorum adquiruntur nonnullæ res, quæ neq; vsucapione, neq; longi temporis præscriptione adquiri possunt; (a) velut res, quæ mala fide à non domino possidentur; (b) Itē, res hypothecaria, quam extraneus, id est, non debitor mala fide possidet; qua præscriptio-



ptione creditor etiam hypothecariam suam actionem amittit: (c) tum etiam hac praescriptione rem alienam acquirit bona fidei possessor, qui a mala fidei possessore alienationis titulo, ignorante domino, eius rem accepit. (d) Feudum quoque in re cuiusdam hac praescriptione acquiritur, (e) & denique hac praescriptione acquirit Ecclesia rem privati. (f)

a) Cuiac. in paratit. C. de praescri. 30. vel 40. annor. in pr. (b) l. 1. l. si quis emptio- nis 8. §. 1. C. de praescri. 30. vel 40. annor. vbi Cuiac. in parat. Idem Cuiac. lib. 18. obs. c. 26. & seq. (c) l. 3. l. cum notissimi 7. C. d. t. (d) l. Nou. 119. vt sponsal. larg. specialis sit contract. cap. 7. rursus sancimus. vbi Cuiac. (e) tit. 26. §. si quis per triginta, lib. 2. feud. Myns. cent. 4. obs. 23. (f) c. 3. extr. de praescri.

## LII.

Decertant inter se Dd. anne vel hac praescriptione ius reluendi pignoris perimatur? Nos neque hanc praescriptionem sufficere asserimus, (a) eamque nec redivis, siue praestationibus annuis obstare concludimus. (b)

a) Per ea, quae tradit And. Geil lib. 2. obs. pract. obs. 18. Myns. cent. 1. obs. 16. Borch. tractat. de vsur. c. 6. n. 13. vide quoque Balb. tract. de praescri. part. 4. 5. pr. quest. 2. (b) l. cum notissimi §. pen. C. de praescri. 30. annor. l. si vsusfructus, vbi Costal. ff. quib. mod. vsusfr. amit. Myns. cent. 3. obs. 13. And. Geil. lib. 2. obs. pract. 73. Ioan. Borch. tit. de pactis. c. 2. n. 23. & ad tit. de vsur. cap. 4. n. 36. vide quoque Didac. Couar. lib. 1. var. resol. cap. 8. n. 8.

## LIII.

Cessante vsucapione, longi temporis praescriptione, & praescriptione annorum triginta, succedit praescriptio 40 annorum, (a) atque hac acquiritur dominium praedij tributarij, salva tamen functione illi imposita, quae dependenda & praestanda est. (b) Et si quis sine canone agrum Principis acceperit, & 40. annis possederit, nullo canone soluto, nec de agro, nec de canone conueniri potest. (c)

a) Cuiac. in parat. C. de praescri. 30. vel 40. an. & ad tit. ff. de diuers. temp. cap. 31. (b) l. comperit 6. C. d. t. l. vlt. vbi Cuiac. C. de fund. patrim. lib. 11. (c) l. vlt. vbi Cuiac. C. de fundis rei priuat. Cuiac. ad tit. ff. de diuers. temp. praescri. cap. 31.

## LIV.

Debitor item ius hypothecae contra creditorem 40. annis praescribit. (a) Eodemque annorum spacio acquiruntur praescriptionis iure Ecclesiasticae res, etiam quae sunt Ecclesiae Romanae. (b) Et denique regalia quae priuatis competunt, hac praescriptione acquiri Dd. tradunt, (c) vt & ea regalia quae Princeps possidet, modo praescribens titulum habeat. (d)

a) l. cum notissimi 7. §. 1. C. de praescri. 30. vel 40. annor. (b) Nouel. 111. & Nouel. 131. c. 6. pro temporalibus, Cuiac. lib. 5. obs. c. 5. & Don. lib. 5. comment. cap. 31. pag.



114. qui vterque asserit per iam citatas Nouell. correctam esse Nouell. 9. & l. vt inter 23. C. de SS. eccles. malè igitur Irnerius sententiam d. Nouell. 9. de Romana Ecclesia dict. l. vt inter. assuit auth. quas actiones, C. d. t. atq; errant iuris Pontificij autores, cum affirmant, legibus Romanorum Principum cautum esse, vt Ecclesiæ Romanæ res non nisi centum annorum præscriptionem admittant, cum c. vobis. extra de præscript. & c. vlt. 16. quæst. 5. (c). Bald. cons. 370. num. 1. in fin. lib. 3. Aym. Crauet. de antiq. tempor. part. 4. pag. 191. num. 13. Ioan. Borchold. ad c. vn. quæ sint regal. num. 19. (d) Didac. Couar. ad c. possessor tit. de Reg. Iur. in 6. part. 2. §. 2. num. 8. vers. tertia species, & §. 3. num. 5.

## L V.

Etsi autem ius ciuile bonam fidem in hac 30. & 40. annorum præscriptione non desideret: (a) ius tamen Canonicum eam omninò requirit. (b)

a) l. pen. §. 1. C. de præscript. 30. vel 40. annor. (b) c. possessor. tit. de Reg. Iur. in 6. & c. vlt. extra de præscript. quæ loca cum quibusdam contra quosdam intelligimus etiam de præscriptione actionum in personam, vide Ferret. num. 87. ad l. 3. ff. de vsucap. & Dn. Obrecht. disputat. de præscript. thes. 85. & seqq.

## L V I.

Est & illud hîc monendum, quod præscriptio 30. item 40. annorum sola etiam citatione, & vocatione in ius interrumpitur.

l. sicut 3. vbi gl. l. cum notissimi 7. in princ. vbi gl. Cod. de præscription. 30. vel 40. annor.

## L V I I.

Centenaria præscriptione adquiruntur res vel ciuitati, vel in pium aliquem vsum testamento relicta, vel donationis, aut venditionis, titulo concessa.

d. l. vt inter 23. C. de SS. Ecclesijs Cuiac. ad tit. ff. de diuers. temp. præscript. cap. 34. & lib. 5. obser. cap. 5. Donel. lib. 5. comment. cap. vlt.

## L V I I I.

Sanctione quoque canonica res Ecclesiæ Romanæ non nisi centum annorum præscriptione adquiruntur.

c. ad audientiam, circa finem, & c. cum vobis, extra de præscript. & can. vltim. 16. quæst. 4. Didac. Couar. ad c. possessor tit. de Reg. Iur. in 6. part. 2. relect. §. 2. num. 6.

## L I X.

Præscriptione temporis immemorialis adquiruntur regalia, cum aduersus ipsum Principem fit præscriptio.

c. super



*c. super quibusdam, §. praterea, extra de verb. sig. vide Didac. Couar. ad dict. c. Possessor, part. 2. §. 2. num. 7. Ioan. Borcholt. ad c. vn. Quæ sint regal. num. 15. & seq. Mynsing. cent. 1. obser. 30. & Molin. consil. 26.*

## LX.

Quod attinet pactum de retrouendendo, eius effectum neq; hæc præscriptione impediri asserimus, si conceptum sit verbo, *Quandocumque vel semper, vel, in perpetuum.*

*l. 2. C. de pact. inter empt. & vend. l. quod si nolit 31. §. si quid ita ff. de adilit. edict. Mynsing. centur. 1. obseruat. 16. Borcholt. de vsur. c. 6. n. 17. & 18.*

## LXI.

Communis quoque Dd. schola sentit, seruitutes etiam, quæ causam discontinuam habent, recipere tantum hanc temporis immemorialis præscriptionem: (a) verum huic opinioni iuris autoritas plane reclamatur. (b)

a) *Balb. tractat. de præscript. part. 2. 4. part. princip. quest. 1. num. 2. 3. & 4. Capoll. tractat. de seruit. vrb. præd. cap. 19. Vasq. controuers. illustr. cap. 84. num. 6*  
 (b) *l. vlt. in fin. C. de longi temp. præscript. l. 1. §. vlt. ff. de aqua, & aqu. plu. arcend. l. apparet 5. §. si quis seruitutem, ff. de iun. actus, priuat. Duar. lib. 1. disput. cap. 34. Vvesemb. in parat. ff. de seruitut. num. 4. in fin. Petr. Costal. ad l. seruitutes 14. ff. dict. t. & ad l. foramen 28. ff. de seruit. præd. vrb. Donell. lib. 11. comment. cap. 11. pag. 594. in fin. & pag. seq.*

## LXII.

Sed quæritur, an etiam in centenaria, & immemorialis temporis præscriptione bona fides canonico iure desideretur? Nos aientium parti adhæremus.

*Per text. in cap. vlt. extra de præscript. Didac. Couar. ad c. possessor tit. de reg. iur. in 6. part. relect. 2. §. 8. n. 4.*

## LXIII.

Sunt quidem alia præscriptionum genera, eaq; varia, verum illa huius loci non sunt, siquidem hic de præscriptione agamus, quæ est adquisitio rei, cæteræ verò præscriptiones sint tantum exceptiones, quæ potissimum actionibus personalibus opponuntur.

*De his præscriptionib. vide Fr. Balb. tractat. de præscript. & Cuiac. ad tit. ff. de varijs temp. præser.*

## LXIV.

Adhuc de vsucapione, & præscriptione; Succedit traditio fisci, de qua hoc tantum; Quod is, qui à fisco per venditionem, aut donationem, vel alium alienationis titulum rem alienam accipit, statim securus fit, & rei illius dominium sola traditione acquirit.

*l. 2. vers. sed aduersus emptores, & vers. & nemo audeat, C. de quadrienn. præscript. & §. edicto D. Marci, vers. constitutio autem, Instit. de vsucap. sed obst. l. nec vlt. l. 13. §. item si quis à fisco ff. de petit. heredit.*

ooo

Sunt



## LXV.

Sunt quidem vt & supra meminimus, (a) donatio mortis causa, legatum, & fidei commissum singulare, modi acquirendi rerum singularum dominium, iure ciuili, verum de his alio loco egimus. (b)

a) thes. 2. (b) de donatione mortis causa, class. 1. disputat. 22. thes. 49. & seq. de legato, & fideicommissis speciali differuimus sub class. 2. disputat. 8.

## LXVI.

Quod attinet modos acquirendi dominium rerum vniuersarum, quales sunt arrogatio, addictio rerum libertatis conseruandæ causa facta, adquisitio delatæ hereditatis, & petitio bonorum possessionis delatæ, actum est de his supra, (a) excepta addictione illa rerum libertatis conseruandæ causa facta. (b)

a) de arrogatione egimus sub class. 1. disputat. 21. thes. 32. & seq. de acquisitione delatæ hereditatis differuimus sub class. 2. disputat. XI. de petitione bonorum possessiones dispeximus sub ead. class. 2. disputat. XII. (b) de hac tractat. Iustin. lib. 3. Instit. tit. XII. cuius cum hodie vsus sit exiguus, idcirco eius explicatione hic supersedebimus.

*V. ad f. ult. disputat. Emendata qd. tamet  
modis acquirendi dominij sps. ad iungenda.*

## Parerga.

## I.

**P**UPILLVM SINE TUTORIS AVCTORITATE CONTRAHENTEM, obligari naturaliter: (a) & non obligari naturaliter: (b) imò aliquando ciuilititer (c) adstringi, adhibita distinctione adferimus.

a) l. 1. in fin. ff. de nouat. l. 127. si pupillus ff. de verb. obl. l. 13. in caussa ff. de minor. l. 25. Marcel. ff. de fideiussor. l. 1. l. 6. in fin. cum seq. l. 16. §. fideiussor. ff. eod. l. 13. naturaliter §. fin. cum l. seq. ff. de condict. indeb. l. 1. §. 4. si cum ff. de pecul. l. si pupillus 21. ff. ad L. Falcid. l. si eius pupilli 64. ff. ad Trebell. l. 25. cum illud §. 1. ff. quando dies leg. l. in numerationibus 44. & l. Stichum. 95. ff. §. aditio ff. de solut. l. fin. ff. de iureiur. (b) l. 59. pupillus ff. de obl. & act. l. 41. quod pupillus ff. de condict. indeb. (c) post rescriptum scilicet Dini Pij. l. ait prator. 3. §. 4. pupillus ff. de negot. gest. l. 1. §. 15. an in pupillum. ff. de deposit. l. 66. si pupilli ff. de solut.

Fide-



## II.

Fideiussorem dotis conseruandę, neq; exigi à marito, (a) neq; à volente marito vxori dari posse, (b) multum reclamante Duareno, (c) defendemus.

a) *l. 1. l. 2. C. ne fideiussor. dot. dent. l. 8. hac lege. C. de pact. conuent. tam sup. dot. & c.* (b) *per rationem d. l. 2. Gödd. de contrah. & committ. stip. cap. 6. nu. 360. & seqq. Dn. Fachineus lib. 8. controuers. c. 76.* (c) *c. 4. de dotibus & iur. dot. sub t. solut. matrim. per l. 1. ff. de fideiussor. l. 7. quod autem §. 6. si vxor ff. de donat. int. vir. & vx. l. 7. exceptiones ff. de except. l. 24. si constante §. 2. quoties ff. solut. matr. quò facit c. per vestras extr. de don. inter vir. & vx. & c.*

## III.

Ex pacto redimendi personalem (a) oriri actionem, non realem, (b) verius est.

a) *l. 2. C. de pact. int. emptor. & vend. l. rebus 6. C. de rer. permut. l. 21. si sterilis §. 5. sed et si ff. de act. empt. l. pen. C. de adilit. edict. Et pacta contractib. bon. fid. in continenti adiecta insunt illis, & eandem producunt actionem, l. 13. in bona fidei C. de pact. §. omnium Inst. de action. Frustra ergò sunt, qui hoc disputant, an, si emptor rem hoc pacto emptam simpliciter alteri vendidisset, venditor primus à quolibet tertio eam vindicare possit? Neque enim res ipsa vendita hoc pacto affecta est. Pro cuius confirmatione adduco ego ar. l. fin. §. fin. ff. de contrah. emp. & l. 120. nihil. ff. de legat. 1. in pr. Geyl. lib. 2. obs. c. 16. Mynsing. cent. 6. obs. 69.* (b) *quod tamen confirmare videtur l. 13. si cum venderet. ff. de pignorat. act. vbi Castrens. l. 10. voluntate §. vlt. ff. quib. mod. pig. vel hyp. solu. IV.*

Princeps inuitos subditos in alium dominum alienare non potest: (a) Infeudare ergò alijs poterit? Quod intelligi non potest. (b)

c) *arg. l. liber homo ff. de verb. obl. l. si in emptione 34. §. 2. ff.*



*de contrah. empt. facit ar. l. generaliter 24. §. fin. & l. inuitus 34. ff. de fideicom. libert. arg. l. pen. C. de oper. liber. quam sententiam elegantiss. rationibus defendit Fr. Hotom. illustr. quæst. 1. (b) ar. c. 1 §. si quis fecerit. quo temp. mil. inuest. pct. deb. & c. 1. §. si quis inuestierit. de feud. dat. in vic. l. commis. Porro, qui qualibet ratione aliquid de suis reb. impeditur alienare, is nec per feudum inuestituram facere poterit, ait text. in c. 1. per quos fiat inuest. c. 1. qualiter olim feud. pot. alienar. Vult. lib. 1. de feud. c. 5. n. 15. V.*

Legitimatio per rescriptum Principis, nū agnatorum aut cognatorum desideret consensum? disceptant nostri: Negantium acquiescere sententiæ nihil dubitamus.

*Ita CL. Dn. Boccr. Præses h. disput. in prælect. suis de iur. regali. c. 2. argumento adoptionis l. 7. ff. de adopt. Quid enim illorum interest, quibus viuento adhuc agnato vel cognato nullum ius quæsitum est? l. 1. ff. de hered. vel act. vend. & c. At qui illis exclusis, etiam fratre, extranea persona, modo non infamis, institui potest l. fratres 27. C. de inoff. test. Præterea istius requisiti in Nou. 74. & Nou. 89. (ubi de hac legitimatiōe agitur.) nec vola nec vestigiū apparet, plurimūq; confirmat sentent. nostrā c. 12. discretis §. 3. si verò filios. in d. N. 89 unde desumpta est Auth. licet. C. de natur. lib. fac ar. l. 2. si quis ff. si à parent. quis manumiss. l. 21. C. mandat. VI.*

Ipsos tamē ita legitimatos etiam agnatis sui patris intestatō mortuis succedere dicimus.

*ar. l. pen. §. 1. sed ne articulum vers. & ideò sancimus. C. de adopt. quid? quòd maior vis est legitimationis, quam adoptionis. Legitimatius enim excludit substitutum: l. eo pacto 17. §. 4. si quis rogatus ff. ad SC. Trebell. adoptiuus non itē l. si ita 51. in fin. ff. de legat. 2. l. 76. fideicommissum, ff. de condit. & dem. CL. Dn Præses d. loco.*

FINIS DISPUTATIONIS  
DECIMÆ NONÆ.



Ka 3071

(3/4)

ULB Halle 3  
003 261 573




sb

Burblind. 3/1.









Disputatio XIX.

PIONE ET PRÆSCRIPTIONE,  
itemque traditione fisci:

QVAM,  
*Deo benè fauente,*

AVSPICIIS

ET IVRIS CON-

SIMI DN. HENRICI  
TORIS ET ANTECESSORIS IN

V BINGENSI, PRÆCEPTORIS SVI  
li : ordinarij exercitij gratiâ, tueri  
conabitur

E A S D I N N E R V S.



T V B I N G Æ,  
Georgius Gruppenbachius,

ANNO M. DC.

mm

